DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS. PRO PRIMA APOLLINARI LAVREA CONSEQVENDA

IN PVBLICIS MEDICORVM SCHOLIS

CELEBERRIMÆ CADOMENSIS ACADEMIÆ.

PRÆSIDE M. IOANNE LYOVLD, DE MONLIEN, DOCTORE MEDICO, ET PROFESSORE ORDINARIO. 26

An ſanis Ciborum varietas fugienda?

PARTIVM Medicinæ antiquiſſima exiſtit ὑγιεινή, ſtatim enim à Mundi primordijs incœpit, plantarum quippe herbarumque ſalubrium notitiam, homini infudit Deus, quibus ſeſe & tueri, & conſeruare poſſet: eratque ipſi arbor vitæ Cibus Medicinalis & conſeruatiuus. Hæc, etſi in præſenti morum corruptione, quaſi abiecta & inutilis, ab hominibus contemni videatur, θεραπευτικῇ tamen eſt anteponenda; præſtat enim morbum non admittere, quàm ſemel admiſſum magno vitæ periculo propulſare. ὑγιεινὴ rerum non naturalium vires cognoſcit, quarum vſu conuenienti, ſanitatem conſeruat, in recta partium ſimilarium temperie, organicarum compoſitione, vtrarumque denique vnione poſitam. Res non naturales naturam noſtram non conſtituunt, ſed ſunt indifferentes, benè quippe vtenti, bonæ; malè vero vtenti, malæ: ſenario numero continentur, aëre, cibo, potu, ſomno & vigiliâ, motu, quiete, excretis & retentis, tandemque animi pathematis.

OFFVSVS nobis aër ſpiritui conueniens alimentum & refrigerationem præſtat: huius principium nares, aſpera arteria, pulmones, factaque per totum corporis habitum tranſpiratio: vno enim confluxu & conſpiratione vnâ, aëris per cuncta rerum meabilis ſubſtantia, ab extremâ ſuperficie ad intima perueniens, calorem natiuum optimè fouet & moderatur. Tanta eſt aëris neceſſitas, vt quoad viuimus, ſpiritum de Cœlo ducete cogamur, neque animus ſine animâ, neque anima ſine ſpiritu & aëre teneri, conſeruarique poſſit. Inſpirati aëris, quàm circumfuſi, tantò maior ad immutanda corpora vis eſt, quantò is vberiùs & maiori copiâ profunda corporis ſubintrat. Aër ad ſanitatis tutelam eligatur, qui omnibus ex æquo naturis ſit profuturus, tenuis, patens, purus, nulliſque inquinamentis, aut vllâ putredine obſitus. Nemo ergo, qui ſanus eſſe voluerit, agrum emerit, pinguem licet & feraciſſimum, in craſſo, opaco, & peſtilenti aëre ſitum; ibi enim cum orco ratio ponenda eſt, ibi Colonum vita dubia, fructuum perceptio incerta, ſæpeque mors quæſtu longè certior exiſtit.

NEQVE ſanitatem conſeruat ſola ambientis natura & conditio, Medico etiam ſanitatis cuſtodi laborum cura eſſe debet, ſomni & vigiliarum, exctetotum & retentorum, atque etiam animi pathematum; maxima verò cibi & potus, in ſubſtantiâ, quantitate, qualitate, tempore & modo: inſunt enim animalibus præter ſpiritus, humida & ſolida ſubſtantia, quarum eſt indeſinens & perennis effluxus à calore natiuo ſubiectum ſuum, pabulumque, diſſipante. Alimentis itaque in ſubſidium vtatur ὑγιεινῆς, quibus exhauſta partium ſubſtantia refici & reparari poſſit: niſi enim citò ſuccurratur, animantem breui cadere neceſſe eſt. Idonea ad hæc ſuppeditant alimenta, ex plantis ſolùm & animalibus petita. Principium alimentorum, os, ſtomachus & ventriculus, in quem, vt in maximum naturæ promptuarium, ingrediuntur, quod maris inſtar, ſingulis corporis partibus quaſi per πλημμυρίδα mittit, & ab alijs quaſi per ἀμπῶτιν vndiquaque recipit.

IN ventriculo fit prima Ciborum concoctio, quæ ſi praua fuerit, cæterarum tonus collabetur: hincque propter ventris ſegnitiem, vaſorum impuritas emanabit, factâque omnium confuſione, cibi malè commutati, fatum ſibi à naturâ deſtinatum non explebunt. Coctionem ventriculi à chylificatione ſi diſtinxeris, mentem Galeni attinges: illam efficit ignis ventriculi, qui depoſitâ, per aquæ commixtionem, virilitate, in fœminam quaſi conuerſus eſt, quemque iuuat ſpiritus cibis inſitus, ipſorumque calor internus, partiumque nobilium benignus & vitalis influxus. χύλωσιν producit ventriculi ἰδιοσυγκρασία, adiuuante eiuſdem calore, pituitâ ſui generis, cum quâdam bilis parte, ſpirituque acidulo, totum liquorem in ventriculi cauo perfundente. Ne ergo primâ illa ventriculi ſymphoniâ corruente, cęterarum harmonia peruertatur, εὔπεπτα καὶ εὔχυμα iuſtâ quantitate ingerantur, quæque ventriculo vim nullam inferant; eſt enim ſobrietas, ſanitatis, longioriſque vitæ parens: noſce itaque teipſum & proba, cibi enim & potus ad quantitatem, indigent experientiâ. Neque primas, aut ſecundas alimentorum qualitates ſperne; vt enim illorum moles aliquando facultatibus melior percipitur, ſic etiam aliquando facultates alimentorum, mole meliores ſunt. Temperata itaque temperatis præſcribe, calida frigidis, frigida calidis, &c.

COMMODA ingerendi alimenti occaſio, fames: eſt enim verum cibi condimentum, quam ſi lurconum & comedonum inſtar, ciborum ingeſtione præuenias, ſtatim cruditas exorietur, morborum omnium origo & ſeminarium. Famem rectè expreſſeris, per alimenti concupiſcentiam, ex penuriæ moleſtâ ſenſatione enatam: ſedem habet in ore ventriculi ſuperno, quam efficit partium fame lattantium ſuctus, & acidulus quidam liquor, ſpiritu quodam diſſoluente perfuſus, ſiue à liene, ſiue à cœliacâ arteriâ in illud effundatur. Quandiu ſanus vixeris, ciborum ordinem non ita attende; caue tamen, ne varietate illectus κακόχυμα permiſceas εὐχύμοις: hanc etenim fuge cane pejorem & angue: eſt enim prauum gulæ irritamentum, inquinationis in ventriculo & omnis perturbationis fundamentum. Neque aut ætati, aut viribus nimiùm fidas; etſi enim ex prauâ illâ varietate noxa ſenſibilis iuuenum corporibus officere non videatur, quemadmodum tamen gutta cauat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo, ita temporis progreſſu, poſt diuturnam, prauamque viuendi rationem, viſceribus impreſſa labes, eaque indelebilis, ſeſe manifeſtam faciet, citioremque mortem afferet: vt igitur imminentium inde malorum turbam, fatique præcocioris neceſſitatem ineuitabilem auertamus, iure concludendum eſſe arbitramur.

Ergo *ſanis Ciborum varietas fugienda.*



Proponebat Cadomi FRANCISCVS DE LA BRIERE *Virienſis, Artium Magiſter, die nonâ Nouembris ab Octauâ ad meridiem. A. R. S. H. M. DC. LXIII.*

CADOMI, Apud IOANNEM CAVELIER, Regis & Academiæ Typographum.